

QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 13. Januarij.

M. FRANCISCO GIRARD, Doctore Medico Præſide.

An inveteratæ & contumaci dyſenteriæ lactis potio?

I.

ILLE quidem ſtudioſi Medici officium, ac partes agit utcumquè, qui morbos vulgares, ac quotidianos, & εὐήθεις levare, ac ſanare novit; inveteratos verò, & contumaces remediis ſuo tempore adhibitis depellere, atque debellare haud paulò ſolertioris, ac præſtantioris Medici opus eſt, non ſolùm in obvias morborum cauſas earumque vim, & efficientiam attendentis, ſed in eorumdem etiam morborum ingenia, mores, caſus, eventuſque ſingulos mentis aciem intendentis. Is videlicet animo proſpiciens quæ ſingulorum ſit feritas, quæ remiſſio, quæ brevitas, quæ diuturnitas, pervicaciores affectus, ſive à craſſis & viſcidis humoribus in alto corpore immerſis exiſtant, ſive à pravâ partis cujuſpiam diatheſi, tantâ urget curarum aſſiduitate, ut à convenientioribus præſidiis invictos, & veluti ferocitate exultantes, aut apertâ vi expugnet, aut blandiori interdum remedio, quaſi illecebris irretitos ad deditionem cogat, ſicque de protervitate morbi certiſſimum agat triumphum.

I I.

INTER innumeras ægritudines quibus humanum corpus tentatur, nulla terris incubuit protervior, curatu difficilior quàm dyſenteria. Ab affectâ corporis parte nomen habet, omnium moleſtiſſima eſt, ut quæ cœteras doloris vincat acerbitate, nec ulli cedit periculi magnitudine. Non rarò inflammationem, ſæpiſſimè febrem inducit. Ab atrâ bile orſa mortifera eſt. Plures affectus dyſenteriæ nomine inſigniuntur, qui ſymptomatum diverſitate plurimùm diſſident, nec ab eâdem ſtirpe funduntur, magiſque indole, & naturâ, quàm facie diſcrepant. Dyſenteria κυρίως dicta ſanguinis eſt per alvum profuſio cum inteſtini exulceratione conjuncta, non ſine immani cruciatu doloris. Illa per craſſa tenuiaque inteſtina graſſatur: Si cum alvi fæcibus exquiſitè permiſcetur cruor, in inteſtinis ſuperioribus; ſi verò purus ac minimè permixtus excidit, in inferioribus craſſioribuſque ulcus eſt. Sollicitatur æger aſſiduâ deſidendi cupiditate, atque, ut omnia faciat, priùs animam efflaverit, quàm peſtem depulerit imis conceptam viſceribus.

I I I.

DYSENTERIAM, dirum morbi genus, progignunt nonnunquam externæ cauſæ, ut vitioſi, & acres cibi, exedentia medicamenta; ſæpius internæ, ut ſalſa pituita, utraque bilis, & viſcerum infarctus. Hinc ſoboleſcit mordax, & effrænis humor, qui modò ab hepate manat, modò à meſenterio, aliiſque vicinis partibus, & ad inteſtina delatus, in illis crudelitatem expromit ſuam: Indeque incaleſcente cœcis ignibus humore, naſcitur præfervida viſcerum intemperies, quæ, quò altiùs impreſſa fuerit, eò curandæ illius major difficultas. Sic ulcera, influentis humoris ratione, ægrè cicatricem accipiunt. An non etiam partis affectæ conditio idem præſtat, & efficit? Hîc ſuam variè Medicus explicat induſtriam, & dum viſcerum ardorem ſanguinis miſſione temperat, humoremque vitioſiorem purgatione diminuit, quid ſingula ad tam atrocis mali pervicaciam expugnandam valeant, diligenter expendit. Verùm, cùm omnia animo luſtraverit, nul-

lum inveniet præſidium, quod cum lacte tam parabili, quàm ſalutari viſceribus medicinâ conferri poſſit.

I V.

LACTE, ſi utilitatem ſpectes, nullum fructuoſius, ſi ſaporis gratiam, nullum jucundius alimentum hominum generi à naturâ eſt conceſſum; Neque ſolùm ad victum, & ad robur corporis valet; ſed etiam ad propulſanda morborum vel graviſſimorum incommoda. Noſtræ nimirum naturæ tam amica eſt vis lactis, ut cujuſvis ætatis, ac ſexùs, hominibus ſanis, cauſariis, tabi proximis, necdum ex morbi diuturnitate recreatis apprime conferat, munda lætaque reddat omnia. Quoties lactis uſu propè funeratorum nihil præter nervos & luridam pellem gerentium membris gratâ vice rediit habilis vigor, venis ſanguis, relapſus in genas decens color, vivaxque gratia? Hoc uno vitam, & ſpiritum ducunt, quibus corpus exulcerati pulmonis contagione afflatum miſerè contabeſcit. Quidam etiam in articulorum vitiis, cùm lacte poto ex toto ſe eluiſſent, ſecuritatem totius vitæ conſecuti ſunt. Quidni & in dyſenteriâ inveteratâ? Ad cujus curationem lac efficaciſſimum eſt, ob triplicem ex quâ componitur ſubſtantiam. Suo ſiquidem ſero, in quo vis eximia frigoris, & inſignis partium tenuitas, ulcera deterget, eadem conſolidat ſubſtantiâ caſeoſâ, butyroſâ verò pro alimento eſt.

V.

SÆVISSIMIS torminibus, qui rectè mederi voluerit, duplicem ſibi ſcopum conſtituat neceſſe eſt, nec ſolùm coërcendæ vacuandæque putredini, ſed etiam contemperando, reſtinguendoque incendio, totus intentus eſſe debet. In eam rem mirum in modum conferent clyſteres anodyni, hordeata, amygdalata, imprimiſque ſanguinis miſſio repetita, pro morbi magnitudine, & viribus ægrotantis. His niſi cedat tanta calamitas, res tota lacti committenda, ubi corporis penetralia penitùs ſubjerit, nihil non emolliet, brevi graviſſimos dolores levabit, franget humoris pervicaciam, viſcerum fervorem ſedabit, cumque id omnium rerum, quas cibi cauſâ capimus, liquentium maxime alibile ſit, ſolidis plus juſto ſic-

catis, madorem salutarem immittet, viscerum ariditatem, & squallorem castigabit, hepar reficiet non parum in diutinâ dysenteriâ affectum, quod ideo labefactatur vel maximè, quia blando humore deficitur, atque illum quidem eliciet ex lacte, quod spiritu vitali cum turgeat, sitque concoctu perfacile, & vitæ principiis analogum alimentum, idcirco cœteris præstabilius habendum est.

Ergo inveteratæ & contumaci dysenteriæ lactis potio.

Domini Doctores disputaturi.

M. Franciscus Girard, Præses.	*M. Petrus Bonnet.*	*M. Ioannes Hamon.*
M. Iosephus Thommasseau.	*M. Ioannes-Baptista-Renatus Moreau.*	*M. Simon Boulot.*
M. Ludovicus Poirier.	*M. Nicolaus Pelletier.*	*M. Petrus de Mersenne.*

Proponebat Parisiis CLAUDIUS HUGOT, Cabilonensis. A. R. S. H. 1678.

PARISIIS, Apud Franciscum Muguet, Regis & Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Typographum.